

R. 3. 175 ll.



31 30

ORATIO
 DE
 CAUSIS RUI-
 NÆ SCHOLARUM
 ET
 REMEDIIS PRÆ-
 CIPUIS ADHIBENDIS,

Publicè habitata
 a
 CHRISTOPHORO - BALTHASARE
 à Brandenstein/ in Bollensdorf & Brestewitz/ Deca-
 no Cathedralis atq; Collegiæ Ecclesiæ Martisbur-
 gensis, nec non p. r. Scholarchâ,

Cum
 M. GEORGIUS MOEBIUS, Laucha-
 Thuringus; SS. Theol. Baccal. Rector Scholæ Episco-
 palis Martisburgensis, nuper præsentatus ac voca-
 tus, solenniter introduceretur.

*In auditorio majori prædictæ Scholæ, 20. Martij
 hora 8. matutina, Anno Christi 1648.*



HALLÆ SAXONUM;
 Prelo OELSCHLEGELIANO, 1650.



V I R O

*Perquam Reverendo, Genēroso, Nobilissimo
atque Consultissimo*

**DN. HEINRICO A Friesen/
Toparchæ in Rōtha/ Kreudenitz/ &c.**

**Serenissimi Electoris Saxonæ
Intimo Consiliario & Cancellario Dresdensi eminentis-
simo, Sūpremi Judicij, Appellationum Præsidi gravissi-
mo, nec non Præposito Cathedralis Ecclesiæ
Martisburgensis dignissimo.**

*Domino Patrono, Confratri atq; amico suo dile-
ctissimo ac honoratissimo.*

Offert

AUTOR.





F. N. S. T. A.

Sesquiennium ferme elapsum est, Viri Reverendâ dignitate, Nobilis generis prosapiâ, multiplici Scientiâ, Experimentiâ, atq; Humanitate multâ Præstantissimi, Clarissimi, Consultissimi, Amplissimi, Prudentissimi: Tuq; politioris Adolescentiæ flos optime;

Sesquiennium ferme elapsum est, cum hoc ipso ex loco dissertatiunculam quandam habui, simplicem & incomptam, sed tempori & loco huic convenientissimam: Dixi enim de Præceptore bono, ejusq; requisitis, non omnibus tamen, sed duntaxat præcipuis: Id quod nonnullis Vestrum in recenti memoriâ erit reconditum: Ansam & occasionem ejus rei mihi suppeditabat introductio (quam sic vocant) novitij Dn. Conrectoris, simulq; inferiorum duorum Dnn. Collegarum, Cantoris videlicet
A 2 & Bac-

21. Septemb.
hor. 8. mat.
Anno 1646.



& Baccalaurei, quorum uterq; præviâ legitimâ vocatione, per aliquot quidem annos functioni scholasticæ præfuerant, cætui tamen scholastico ob intervenientes Bellonæ turbas, decenti ritu nondum erant præsentati.

Et sanè, [si quod res est, fateri velim] tum temporis, planè mihi persuasum habebam, fore, ut Cathedram hanc amplius nunquam conscenderem, nec quicquam Verborum publicè ad Vos facerem. Non enim inficias ire possum, me sicut antea, ita præsertim post oblatam DECANATUS Prælaturam Reverendo Capitulo Inspectionis & Regiminis rei Scholasticæ resignationem intinuisse, ac dimissionem à Serenissimo nostro Electore, Domino & Nutritio nostro Clementissimo, reverenter & humilimè sollicitasse.

Prætereà nihil magis cum alijs bonis in votis habebam, quàm ut tres supradicti Collegæ, unà cum Dn. Rectore diu sospites & incolumes Scholæ huic Episcopali, multo cum fructu, præesse, & Juventutem Scholasticam in pietate, doctrinâ & moribus informare valuissent: Sed neq; hoc, neq; illud ex Voto successit: quin potius meo exemplo atq; suffragio comprobare necessum habeo commune illud veri verbiû;

Homo quidem proponit: Deus autem disponit.

DEO



DEO enim sic disponente, Electore Saxoniae, utpote Patre Patriae, clementer jubente, Inspectionem Scholæ hujus laboriosissimam in præsentem usq; diem, atq; ita per novendecim annorum spacium in turbulētissimo omnium rerum statu, ad gloriam JEHOVÆ, in odium Satanæ, in salutem Reip: ac juventutis Scholasticæ, obsequentissimè ac promptissimè sustinco: Neque enim Collegarum Quadriga diu salva atq; integra mansit, sed ubi vix dimidium anni effluserat, præter spem & omnium opinione citius, cecidit: Heu! caput, Dux & Coryphæus Collegarum dignissimus, Dn. M. Valentinus Heustreu, Rector Scholæ hujus Episcopalis fidelissimus: cujus inaugurationi ac solenni antecessoris mei, Dn. D. Eustachij Mölleri, publicæ Proclamationi & Orationi de initio & progressu Scholæ Episcopalis Merseburgensis præmissæ, ante triginta annos, singulari fato divino, ipsemet, utpote Capitularis Canonicus, 9. April. 1617. prævia invitatione, interfui. In istius beatè defuncti locum, divina clementia nobis donavit, Virum Eximium atq; Clarissimum Dn. M. Georgium Mæbium, Lauchâ Thuringum, SS. Theologiæ Baccalaureum, cui Rectoratus Sparta, ante paucos aliquot menses, à Nobis legitime est demandata. Hujus solenni inaugurationi, cum



hodiernus dies destinatus sit, qui antiquitus initio examinis Scholastici consecratus est, ipse mos me jubet, ut etiam hâc vice Cathedram hanc ascendam, & quæ officium Scholarchæ requirit, fideliter expediam.

Propositio.

Priusquam autem ad ipsum introductionis actum accingar, paucula quædam præfari libet, de causis Rempubl. literariam corruptentibus, nec non de remedijs hujusmodi corruptelæ salubriter adhibendis.

Attentionis
petitio.

Quod dum facio, Vos auditores, ut exigui temporis usuram, & in hac aures, mentesq; faciles atque benignas, mihi præbeatis, etiam atque etiam rogo.

Principiò, ne longis ambagibus Vos detineam, sunt nonnulli, qui ad fatales omnium rerum mutationes, oculum intendentes, finis extremi propinquitatem, ruinæ Scholasticæ causam proclamant.

Propinquitas finis extremi,

Cum enim non ex sacris solummodo edocti simus, horam nunc esse novissimam: finem mundi adesse: Judicem ipsum præstolari ante fores: & singulis propè momentis extimescendum esse, totius universi interitum: Sed etiam quotidiana nobis suppetant argumenta collabentis sensim ruentisq; systematis: Quando in Ecclesiasticis, omnis fermè disciplina & Euta-



Eutaxia penitus expiravit : In Politicis nul-
lus justitiæ locus relinquitur : In domesticis
avaexia & tanta ubique apparet dissolutio, ut
nullum corpus magis partibus suis cohærere
credas.

Quid mirum ergo, dum videmus ac do-
lemus, Scholas quantumvis olim florentissi-
mas, celeberrimasq;, in hoc universalis conver-
sionis orbe, circumagi, & fatalibus periodis ob-
noxias reddi, ita, ut per regna, provincias & ur-
bes vix veterum fastigia fas sit signare aut vete-
ris formam monstrare Lycæi.

Deinde etiam sunt, qui exploratâ seculi Crescens om-
nium ini-
quitas,
hujus naturâ, crescentem omnium iniquita-
tem pro causa ruentium hinc inde Scholarum
venditent, cum petulantia, innataque homini-
bus malitia adeo surrepserit, ut virtutum se-
mina, inter spinas ac dumos, sentes ac ve-
pres, nec jacere, nec excitare, nec ad frugem pa-
rare possis.

Verum enim verò communia hæc omni-
um vitiorum semina, scholas earundemq; rui-
nam & decremента proximè nondum attinēt.

Idcirco nobis ulterius progrediendum, & Causæ pro-
pinquiores,
alia exq; specialiores seu propinquiores causæ
investigandæ.

Inter



I.
Parentum in
educatione
& disciplina
domestica
nimia indul-
gentia & ne-
gligentia.

Inter quas primum locum jure obtinet Pa-
rentum in educatione mollities, incuria & per-
versitas.

Quod enim olim suo tempore Fab. Quin-
tilianus conquestus est, id omni jure ad nostri
seculi homines accommodari potest: Verba
eius sic se habent:

Natus infans delegatur ancillæ, vel Nutri-
ci, cui adjūgitur unus ex servis vilissimis, horum
fabulis atq; nugis statim imbuitur: Nec quis-
quam in totâ domo pensi habet, quid coram
Infante dicat aut faciat: quando ipsi etiam pa-
rentes nec probitati, nec modestiæ parvulos af-
suefaciunt, sed lasciviæ & libidini, per quæ pau-
latim impudentia, ac sui alieniq; contemptus ir-
repat, ut ita propria & peculiaria vitia in utero
matris quasi concipi videantur: Hæc ille.

Quantum verò damni, quantumve exitij
rei scholasticæ afferat domestica hæc lenitas &
incuria, experientia rerum omnium magistra
fatis & plusquam satis comprobat.

Videas hinc discursantes in plateis pueros:
Audias vix balbutientes pusiones, juramē-
tis, diris execrationibus, sacramentorum, imò
Christi ipsius nomine, non secus ludere, ac ta-
xillis vel calculis:

Videas



Videas non vereri eos rugam, baculumq;
senilem: at illudere & pipulo differre:

Horrescas quandoque ad voces obscœnas,
atq; impias primæ istius ætatis, quas omnis æ-
tas inter Christianos ignorare debebat. Quid
igitur ab his sperare liceat? Quomodo è tali-
bus lignis Mercurij queant formari? quæ Scho-
la eluendis tot tantisq; puerorum vitijs suffici-
at? imò, quæ amplius vigere ac florere possit a-
nimorum poliendorum officina? in quam ab
ipsa statim infantia, tantæ importantur omni-
um vitiorum sordes?

Undè autem hæc omnia? nisi ex lenitate
parentum, ubi nec manus adhibent, nec ocu-
los: Utinam hos aperiant ad primos facino-
rum fontes; illos ut corrigant & flectant ab ho-
nesti tramite recedentes: Tanta hodiè quorũ-
dam est blandities, ut liberis quodvis indulge-
ant, & nihil non sibi placere patiantur, etiam
peſsimè facta prædicent, atq; ex illis augurium
quoddam virtutum [si dijs placet] heroicarum
captent: Ita blandæ sunt non matres duntaxat,
sed genitores ipsi, ut vel digitos formident tol-
lere, adversus malitiam & viridis pueritiæ petu-
lantiam: Ita scilicet amant hodiè non filios,
sed filiorum errores, noxios, jocos, intempesti-
vos risus & lusus, convitia, turpiloquia, & ut

B

uno



uno verbo dicam, omnia vitia : Et quos sic a-
mant, rarò vel tamen eo affectu in scholas mit-
tunt, non ut fiant meliores, sed in moribus hu-
jus seculi, & in turbâ similiter educatorum pe-
tulantiores :

Putatis ne, Auditores Clarissimi, ruinæ
Scholasticæ causam non in ijs residere, qui illi-
us maximi & primi sunt autores ? Attendite,
quam delicatè illi suos ad scholam aliquando
missos curent & curari velint ? Disciplinam di-
cunt nimium duris legibus constitutam, tene-
los lædi aut terreri saltem rigore illo graviore,
quos satius erat amicâ duci invitatione, quàm
severo obstupesceri vultu ! Audiant B. Augu-
stinum ad hæcce respondentem : Loquantur
sanè ista satis miseri, inquit, quos ad omne faci-
nus Diabolus omnis mali autor, invitat : Illis,
quibus studium est honestæ famæ, continentiæ,
humilitati, pietatiq; servire, dulce disciplinæ o-
nus & leve jugum domini, quod non gravat,
nisi aut perditos aut perituros.

Blanditiæ istæ, Parentes, ô Parentes, indo-
lem non conservant, sed enervant ; non vege-
tant, sed hebetant : non reficiunt, sed inficiunt,
ac interficiunt. Certè una hæc exprimis causa,
cur veteribus illis Scholis, non sua laus hodiè sit
& æstimatio : quia ager, quem colendum susci-
piunt,



piunt, jam ante neglectus & corruptus est, jam
avena, lolio, tribulis velut asperâ quadam sylvâ
horrere incipit; Unde spes anni, seges ipsa inge-
niorum, non tam læta est & lata, ut quondam.

Progrēdimur jam à parentibus ad liberos,
qui & ipsi plurimum labis hodiè scholis no-
stris aspergunt: Sunt enim & his sua crimina,
utpotè qui Præceptoribus sunt oneri, sibi detri-
mento, alijs odio ac fastidio: Ætas illa juveni-
lis! (ut hoc de suo mihi mutuetur Lud. Vives) ad
vitia proclivis impellitur vel à sodalibus, vel a-
micis perditis, vel pravâ quâpiam animi libidi-
ne: Si præceptores habeant acres, & in officio
sedulos ac vigilantes, obdurant ad verba & ver-
bera, quæ jam ex consuetudine dueunt pro ni-
hilo: ad quæ perferenda stimulat̃ur vel à sode-
libus, vel à dulcedine voluptatis. Hinc odium
Præceptoris, tãquam obicis votorum: & ubi se
paulò solutiorem, ejusmodi puer ferociens cõ-
spicit, asperũ se præbet monitoribus: in officio
non tenetur, sed in officij quadam simulatione,
in quâ manere eum cogit metus, pessimus offi-
cij custos: Nam pulchritudine virtutis addu-
ctus, nihil agit, nec id, quod agere videtur, agit,
sed præsentè corpore animus ad desideria sua
peregrinatur, qui & corpus secum eodem rapit,
si paululum metus abscedat: Non secus, quam

II.
Liberorum
ad vitia pro-
clivitas.



novus pullus perpetuò conatur excutere, & fre-
num & stratum & sessorem.

Quod si quâ ratione Præceptorem unum
aut alterum queat à se dimovisse, præclaram si-
bi videtur nactus victoriam, & gravi servitute
liberatus? Quod gaudium ipsius? Quæ gra-
tulationes atq; applausus sodaliû perditorum?
Tum evagatur, tum errat solus cum licentiâ o-
mnium flagitiorum, & ad omnes scopulos vo-
luptatum impingit, non aliter ac navis in sum-
mâ fluctuum tempestate, fracto clavo & gu-
bernatore submerso.

Undè præter corruptum adolescentis ani-
mum & flagitijs mancipatum, jactura sequitur
rei familiaris pauperis parentis.

Cui accedit jactura temporis irreparabilis,
ut elabantur optimi vitæ anni & institutioni
aptissimi, sine fructu, crescat ipse, & cum eo
ignorantia, atq; odium discendi:

Quæ infelix Catastrophe studiorum, quan-
tum mali ac dedecoris ipsis studijs impingat,
facilè cogitari potest, ut hisce exemplis cautior
redditus alius, cuius potius mancipatum su-
um exoptet, quàm literarum studijs.

Accedit huc malum illud haut rarum, ab
obtutibus hominum remotum, quodq; men-
dicus ille olim conquerabatur, per universum
corpus.



corpus serpsisse, atq; per venas & medullas ita
grassari, ut nullum corporis membrum sese la-
boribus tradere valeret, sancta illa pigritia ac
desidia, scholis & studijs maximè contraria: cui
comes & amica socia plerumq; jungitur Gula
atq; ingluvies, quâ illecti ingenui pueri pudici-
tiam ac libertatem venditant, à pio sanctoq;
proposito excidunt, non superstite ullâ ratio-
ne, non vitæ gerendæ consilio, non artium, neq;
gestorum neq; lectorum memoriâ, nec ullâ in-
dustriæ providentiâ. Quid dicam de ludendi
cupiditate, quæ hodie discipulos nostros, adeo
invasit, ut nullum fere diem præterlabi sinant,
in quo non sua instituât conventicula, & char-
tas lusorias utraq; manoversent, atq; sic num-
mulus, quos canendo ostiatim colligunt, for-
tunæ & ludo levisimè committant.

Hoc scilicet efficit flagitiorum illa omnium
mater, radix criminum, origo vitiatorum, turba-
tio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ,
procella corporis, naufragiû castitatis, amissio
temporis, insania voluntaria, languor ignomi-
niosus, turpitude morum, dedecus vitæ, hone-
statis infamia, animæ corruptela, cæcus deniq;
studiosi calamitas atq; opprobrium publicum.

Accedit & Philavtia, familiaris huic æta-
ti persuasio nescio cujus eruditionis ac dexte-
ritatis,

ritatis, quæ animum inflare, spiritusq; quosdam elatiores & arrogantia plenos efficere cōsuevit, quam contemptus aliorum veluti pedissequa comitatur. Verum nihil est, quod animos hominum ab officio magis abducat, quàm impetus hic ambitiosus, faciens, ut intolerabilis aliquis fiat, summumq; odium DEI & hominum incurrat.

Nulla virtus econtra, quæ magis invidiam mitiget, communemq; hominum benevolentiam conciliet, quam humanitas & modestia.

O utinam nostri adolescentes hoc *Φιλανθίας* vitio non adeò fuissent inflati, nec sibimet ipsis plus artis ac eruditionis imaginati essent, quam quâ reverâ præditi fuere, certè non tam maturè nostram Episcopalem scholam reliquissent, & ad Academias, justò citius evolassent. Neq; enim numerus discipulorum in superioribus præsertim classibus, hoc pacto tantoperè diminutus fuisset.

III. Sed pergamus ulterius, & contemplemur ipsos etiam **DOCENTES**: Nec enim dissimulari potest, sepè multa in iisdem desiderari, quæ ruinam scholarum valdè adaugent: Invenias enim non paucos, qui vel commissas fidei suæ plantulas non eo, quò oportet, studio ac labore curant,

curant, vel discentes affectatâ malitâ, ab ulte-
riore & meliore doctrinâ propellunt, vel qui
dissidentibus inter se voluntatibus, ac studijs, si-
bi invicem repugnant, honori & existimationi
suâ velificâtur, methodum discendi optimam
calumniantur, novamq; formam commentan-
tur, vel qui quod unâ manu ædificant, alterâ
rursus destruunt, id quod fit, si disciplinam,
quam administrât, non proprio fulciunt exem-
plo. Summoperè enim cavendum est ei, qui
quærit scientiam, ut non negligat disciplinam:
illaudabilis quippe est scientia, quam vita ma-
culat impudica. Proinde magis id tradenti ca-
vendum, ut Facta & Dicta inter se concordent,
sibiq; respondeant, ne discentes oggerant illud
Senecæ: Docere & non facere, non solum lucri
nihil, sed & damni plurimum confert. De ejus-
modi Præceptore verè dicitur Versiculus ille

Dogma tuum sordet, si te tua culpa remordet.

Et alter ille:

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Doctrina optimè cum imperio docetur, quan-
do prius agitur, quam dicitur: Qui malè vivūt,
& benè docent, sui ipsorum existunt iudices:
Benè siquidem docendo, discipulos instruunt,
quomodo vivere & agere debeant, sed malè vi-
vendo docent alios, quomodo se condemnare
& de



& de doctrinæ suæ salubritate ac felicitate desperare : Sed sapienti sat.

IV.
Hominum
ingratitude
& tenacitas.

Succedit porro alia causa, nimirum hominum ingratitude & tenacitas, tam erga docentes, quam erga discentes :

De hac prolixa institui posset commemoratio, nisi temporis ratio habenda esset, & communis querela in omnium auribus resonaret: Certum est, superioribus annis nec defuisse Scholis numerum alumnorum, nec numero Nutritios, & inde non solum aucta ubiq; esse Gymnasia, sed excitatos etiam docentium ac discipulorum animos, ut tantò alacrius & ferventius, suas quisq; urgeret operas.

Jam temporis, clavam citius Herculi extorqueas, quam Tantalus quibusdam in ipsis divitiarum undis sitientibus nummum, ad augendam rem scholasticam :

Quotusquisq; enim est, qui vel inopes pueros alit, vel ut majore alantur numero, benignè aliquid conferat? Quotusquisq; est inter cives nostros, qui pro institutione filiorum tam publicâ, quam privatâ, statò tempore, consuetum didactrum exolvat? Rari sanè, & vix totidem erunt, quot Thebarum portæ.

Plures reperias, qui cum Aristippus quispiam, non dico quingètas drachmas, sed quinq;
vel

adde et Dnos nros
anonos, Sphensios,
Hicarios p



Sex duntaxat grossos, pro informatione exigat;
minoris se mancipium emtuos respondeant,
aut non discernant inter artificem & opificem,
inter Præceptorem & deceptorem, inter Do-
ctorem & decoctorem: Pari utrumq; classelo-
cent, nec cogitent, totius Reip: fundamentum
esse rectam liberorum educationem: Adeò
omnis frugescit charitas, omnis arescit libe-
ralitas.

Imprimis accusandi hîc veniunt præfecti
redituum scholasticorum, qui ruinæ scholasti-
cæ egregios se præbeant promotores, dum neq;
docentibus salaria, neq; discentibus exolvunt
stipendia. Unde nausea quædam oboritur in-
genijs, aut si quis desperatione verius, quàm ar-
more docendi, pallium philosophicum capit,
alijs negotiationibus & commercijs ab ordine
suo alienis vacat, quò saltem stomachum la-
trantem placare, suosq; misero domicilio sa-
tiare possit.

Ejusmodi Præceptor egestate pressus & in-
opiâ, an saltem meditari queat ea, quæ in rem
forent discentium, nedum instare operi Schor-
lastico continuâ fide ac diligentia, de eo valdè
dubitatur. Quid proinde mirum, & Musas ipsas
irritas hac unicâ causâ, sumtis quasi alis (quod
est

V.
Præfecto-
rum incuria.

C

est



est in Poëtarum fabulis) totas è Germania nostra abiturum minari?

VI.
Brachij secularis deficientia,

Ad has, quas non tam attigit, ^{nam} quasi digito monstravi causas, non immeritò addi potest brachij secularis deficientia. Est enim in ipso magistratu, quãdoq; sive ab incuriã, sive à multiplicium negotiorum curã, deprehensa tarditas: quod non tempestivè remedium, incipientibus morbis afferunt, nec vel auctoritate suã tuentur, ac juvant eos, qui severiore disciplinã, velut freno Palladis juventutem regunt: vel liberalitate fovent, quos vitam animamq; adolescentiã impendere, ipsis constat.

Constantini quidem Imperatoris memorabile illud & jucundum omnibus docentibus Præceptum recitatur in Jure: Mercedes & salaria Præceptoribus reddi jubemus, quo facilius liberalibus studijs & artibus instituant.

Ast ubi hodiè ejusmodi Constantinus?

Nusquam gentium: Hodie vix tale promulgatur mandatum: Ac licet promulgetur, ab officialibus tamen nihil attenditur, multò minus in ætium traducitur.

Habetis jam, Auditores Clarissimi, causas ruentium hinc inde scholarum, non quod plures non sint, sed quod hæ mihi visa præcipuæ:
ob



ob quas querimonijs de scholarum occubitu,
passim omnium complentur aures.

Jam si quis ex me velit percontari, anne re-
media tot malis parari, vel ostendi queant?

Equidem nimis audacter me pro Æscula-
pio sive Chirone tot malorum, & quidem pu-
blicorum venditarem, si à me vel sanari, vel sal-
tem mitigari posse omnia considerem. Dicam
tamen, pace vestrà, Auditores honoratissimi,
quod sentio, & dicam brevissimis: Faciat quisq;
suum officium strenuè & gnaviter.

- I. Parentes enutriendo & educando liberos in Remedia
præcipua.
eruditione & monitis Domini.
- II. Liberi in discendo & obtemperando.
- III. Præceptores in docendo, monendo, casti-
gando, exemplariter vivendo.
- IV. Cives, præsertim diviores, in alendo & be-
nefaciendo,
- V. Præfecti in exolvendo.
- VI. Magistratus in præcipiendo & urgendo.

Sic DEO clementer annuente fiet, ut scho-
la, quæ jam jam ruinam minitabatur, pristinum
vigorem & nitorem facile consequatur, ac nu-
merus tam Docentium, quàm Discentium rur-
sus augeatur & multiplicetur. Hæc prolixius



recenseri possent, nisi benevolentia vestra in au-
diendo jam dum abusus essem. Abrumpen-
dus igitur est sermo, & ad id, cujus gratiâ Cathe-
dram hanc conscendi, transeundum.

Dixi supra, & neminem vestrum later;
Scholam hanc Episcopalem non ita pridem, no-
vo Rectore divinitus esse donatam, Viro nem-
pè Clarissimo, Eximio & Doctissimo *Dn. M.
Georgio Mæbio*, S.S. Theologiæ Baccalaureo:
Quemadmodum igitur, nomine Illustrissimi
nostri Postulati *Dn. Cancellarius* (qui sua præ-
sentiâ hodiernum actum celebriorem reddi-
dit) & reliqui Cõsiliarij hujus Episcopatus Am-
plissimi, nec non Rev. Capitulum, & Ephori
Scholæ, communicato invicem consilio, Vi-
rum hunc, unanimi consensu, dignum judica-
runt, cui Regimen hujus Scholæ committere-
tur: Ita nunc eundem, pro more recepto, so-
lenniter inaugurandum, atq; confirmandum,
in conspectum Vestrum produximus. Quod
itaq; toti nostræ Reipubl. literariæ, & toti Pro-
vinciæ seu Episcopatui felix, faustum ac fortu-
natum esse jubeat, penes quem jubendi pote-
stas, *DEUS* Ter Opt. Max. sæpius nominatum
Dn. M. Georgium Mæbium, Rectorem Scholæ
hujus, & Didascalum supremum, legitimè ele-
ctum



ctum & designatum, denuò publicè, autoritate
Scholasticâ, quâ etiamnum fungor, proclamo,
renuncio, confirmo, talemq; haberi & decenti
obsequio ab universis ac singulis Præceptoribus
ac Discipulis, summis, mediocribus, imis,
honorari edico, mando, præcipio: Idq; omne
in nomine Sacro-sanctæ individuæ Trinitatis,
Patris, Filij & Spiritus Sancti, Amen.

Habetis nunc, Præceptores & discipuli clas-
fici, novum Scholæ vestræ caput, gubernato-
rem novum vobis præfecimus, huic fasces scho-
licos detulimus, hujus regimini vestras volun-
tates submitti volumus.

In hunc ergò deinceps oculos & pietatem
vestram singuli obvertite, ipsum decenti ritu ac
reverentiâ suspicite, observate, colite: Illum
non fortuito casu, non humano duntaxat ausu
& jussu, sed à DEO ipso ordinatum, vobis da-
tum & præstitutum esse scitote: Ac proinde
propter mandatum DEI & conscientias ve-
stras, devotè eum diligite. Illi certatim obedi-
re parate, Reverentiam ipsi non dictis solùm &
verbis, sed factis etiâ & gestibus exhibite: Secus
sfeceritis, in publicam offensam nostram inci-
detis: Armavimus semel Dn. Rectorem auto-
ritate publicâ, illum nunquam patiemur à vo-

his, vel despiciatui vel odio haberi, Verum,
quantum in nobis erit, eius auctoritatem con-
stanter asseremus ac tuebimur. Et hæc dicta &
hæc rata volumus.

Quod superest, DEUM supremum Scho-
larcham, supplicibus votis deveneramur atque
rogamus, velit porro Scholam & Ephebiū
hoc nostrum, novelletum Ecclesiæ ac Reipubl.
nostræ, sub tutelâ ac patrociniō Magistratus
nostri Clementissimi, gratiæ clementiæq; suæ
sepimento cingere, nec permittere, ut in tantis
Patriæ tumultibus, qui scholas & Gymnasia li-
teraria non pauca everterunt, fœdissima barba-
ries, exitium non magis honestis artibus ac
studijs, quàm ipsi honestati ac pietati minitans,
in illam erumpat, & eandem miserè depopu-
letur.

Docentes, præterea omnes, divino suo au-
xilio gubernet, sapientiæ, intellectus, scientiæ,
timoris ac dilectionis spiritu corroboret:

Discipulis quoque animum indat docilem
ac veræ pietatis avidum, timoris item filia-
lis plenam, ac superiorum observantem;

Disponat in illis vitam ad honestatem:
Ingenium ad alacritatem: Judicium ad sani-
tatem: Memoriam ad capacitatem: Lin-
guam



quam ad Christianæ conversationis utilita-
tem.

Nos deniq; omnes sancti sui Numinis præ-
sidio regat, quò sibi grata, Ecclesiæ salutaria,
Reipubl. proficua, singulis atq; universis utilia,
& dicamus & faciamus.

Tibi Pater unà cum Filio
tuo coæterno, & Spiritu S.
DEUS unitrine, sit laus, ho-
nor, ac celebratio, secu-
lis infinitis.

D I X I.




quod ad Christi... conventionis...
1607

Non debet...
hinc...
et...

Tibi Pa... cum Filio
...
DEUS...
...
...
...
...

D I X I





31 30

ORATIO
DE
CAUSIS RUI-
NÆ SCHOLARUM
ET
REMEDIIS PRÆ-
CIPUIS ADHIBENDIS,

Publicè habita
à
CHRISTOPHORO D.

